



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

2. De creatione Regum, quæ sit per hæreditarium successionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

Penes Vnum, inquit, summam esse Republicam, conducibile omnium maxime est: facilius enim vnus vir bonus quam multi reperiantur. Quo fit, vt si quis summa rerum vicius praesit, factus tamen sit, quam à suis similitum multitudinis Republicam administrari. Cuius rei fidem facere possunt res gesta Graecorum, Barbarorumque, & ipsorum etiam Romanorum. Nimirum cum semper, & praestantiora longe, & plura sub Regibus, quam sub populari gubernatione urbes, ac priuati ciues beneficium adepti fuerint, longo quo minus rerum aduersarum sub vnico, quam sub Imperio multitudinis sustinuerint. Curtius libro vltimo: Imperium quod sub vno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde Iure meritoque Populus Romanus salutem se Principi suo debere profiteatur. Beatus Cyprianus in Oratione de Idololorum vanitate: Quando vnguant regni societas, aut cum fide capis, aut sine cruore desis? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens regis dissidentibus etiam in morte discordia. Et Romanos geminos vnus non capis Regnum, quos vnus vteri cepit hospitium. Pompeius & Caesar affines fuerunt, nec tamen viciissitudinis fedus in amula potestate tenuerunt. Ideo Lucanus libro secundo merito dixit:

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas,
Impatiens consortis erit: nec generis, vllis
Credite, Nec longe fatuorum exempla potantur.
Frater no primi maduerunt sanguine muri.*

Et Ouidius:

Non capit vna duos maiestas regis fratres.

Denique Deus vnus Moses populo Hebraeorum praefecit, deinde Iosue: post quem, per vnum Iudicem totam Republicanam administravit: & tandem Sauli primo, post Dauidi, & posteris eius Regiam potestatem concessit.

Obijciat quispiam id quod scriptum est: *Regum & reprehensum populū à Deo fuisse, quod Regem more Gentium petierit.* Respondeo, nequaquam reprehensum fuisse Populum, quod Regem postulauerit, sed quod maluerit per Regem, quam per Dominum gubernari. Nam cum Iudices Populum administrabant, non more Regum gubernabant, cum illi ex praescripto diuinæ legis Populum regere cogentur, vnde nulla eis erat potestas condendi, leges imponendi tributa, aut quippiam suo arbitratu imperandi: ac proinde tunc Deus dicebatur eos gubernare: & Samuelli dixit Deus: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

Deinde quis obijciat, Regium nomen odiosum fuisse Romanis, & Atheniensibus: cum tamen vtrique in Republicæ administratione maxime commenderentur. Item Lacedæmonij, quorum Republica plurimum laudatur, magis Democratiam, quam Monarchiam probarunt. Respondeo, hisce gentibus Regium nomen odiosum fuisse, quia earum Reges ab auita virtute iam degenerauerant. Vitium igitur Regum fuit. Et quidquid sit de Romanis, Tacitus li. 1. *Annalium* scribit: *Vrbem Romam à principio reges habuere libertatem & consulatum. L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque Decemviralis potestas vltra biennium: neque Tribunorum militum consulare ius diu valuit: non Cinna, non Sylla longa dominatio: & Pompeij Graesq. potentia cito in Caesarem, Lepidumque, Antonij arma in Augustum cessare, qui cuncta discordiis ciuilibus secula nomine Principis, sub imperio accepit.* Tertio obijciat aliquis, M. Tullium in li. de Republica. & Aristotelem li. 3. *Politico. c. 8. & 10.* insinuare, optimam esse eam Republicanam, quæ ex duobus tribusve gubernandi generibus conflata, mixtaque sit: Respondeo, eos laudasse quidem Aristocratiam, & Democratiam, sed Monarchiam eas non prætulisse. Falsum igitur est, quod quidam aiunt, posse Republicanam constitui ex duobus vel tribus generibus, videlicet ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia. Nam si Monarchia est, tunc penes vnum summa potestas, & summum imperium est: at in Aristocratia, & Democratia supremum ius, & auctoritas, non penes vnum, sed penes plures consistit. Per Democratiam Populus habet ius statuta condendi, magistratus creandi, bellum indicendi, suscipiendi & gerendi:

ad quem, Populum scilicet, in causis, & litibus, omnibus, vltima est prouocatio. In Aristocratia, penes paucos, videlicet optimates, siue proceres, suprema æqualiter potestas est, ita vtiq. forum: ac que sit, statuta condere, magistratus eligere, bella indicere. At vero in Monarchia penes vnum tantummodo est principatus, & Imperium. Ipsus est leges sancire, magistratus instituire, tributa populo imponere, hostibus bellum indicere, monetam cudere, & ad ipsum vnus est in omnibus prouocatio.

Quarto obijciat: quia tria quæ sunt Republicæ maxime necessaria, melius penes multos, quam penes vnum videtur posse consistere. Hæc tria sunt, Perpicacitas in consilijs, & iudicijs: Honestas finis, & Perfecta stabilitas: ac plus vident duo oculi, quam vnus: plus sapiunt multi homines, quam vnus: plus possunt duæ manus, quam vna. Item, quo plures sunt Rectores, eo magis ad commune bonum animum, & mentem intendunt: facilius itidem corrumpitur vnus, quam duo, ergo perpicacius, commodius, & firmitus Republica administratur per plures, quam per vnum. Respondeo: cum Monarchia cæteris regendæ Republicæ generibus præfertur, de ea sermone esse, in qua vnus dominatur, sed bonus, hoc est, prudentia, sapientia, & virtutem præditus, & qui bonorum, prudentium, & sapientium consilijs vtatur. Vnde quamuis per seipsum non omnia persequatur, prudentium tamen & bonorum consilio, & opera iuuatur.

CAP. II.

De creatione Regum, quæ fit per Hereditariam successionem.

Quamquam varijs modis Regnum comparari & acquiri solet: videlicet auctoritate superioris, adoptione, donatione, emptione, permutatione, & iure belli, duobus tamen potissimum comparatur, Aut enim per electionem, hoc est, per suffragia liberi populi, aut per hereditariam successionem regnum suscipitur. Electio antiquior: ac successio recentior, & aspectu aliquo melior, quia verum est minore discrimine sumi Principem, quam quæri, magnis aut nouis conatibus opportuni sunt transitus rerum: præuæ multorum spes cohibentur si successor non in incerto sit. Vnde ardua semper questio fuit. Vtrum melius sit, regnum per successionem hereditariam suscipere: An per suffragia quærere? Hanc quaestionem tractant *Ægydius Romanus tract. de Regimine Principum li. 3. par. 2. c. 5.* *Buridanus li. 3. Politico. g. 22. & Maior 2. q. 44. q. 4.* *Ioan. Leccicer. tract. de Primogeniti. 2. q. 14.*

Certe difficile est, vtra ratio sit melior, diiudicare: nam siue per electionem, siue per successionem ad Regnum perueniatur, in vtraque ratione multa infunt, quæ laudanda, atque improbanda merito videntur. Et in præfenti negotio sermo non est de Regnis, quæ acquiruntur electione, vel successione, iuxta mores receptos, vel constitutas leges in patria cuiusque, vel prouincia, vel gente: tunc enim vel mores, vel leges huiusmodi merito seruantur, ne mutatio præter mores, vel leges inducta, in perniciem populi conuertatur: sermo igitur nobis est absolute & simpliciter, vtrum præferat Regem eligi, an Regem ex Rege nasci: nam quemadmodum ex arbore annosa, & peruerso trunco noua nascitur, quæ antequam antiqua decidat, radices agit, & vires assumit. Sic ex rege femine iunior Princeps minori discrimine sumitur, quam aliunde quæritur.

Conuenit inter omnes, melius esse, Regem successione suscipere, quam suffragio quærere. Hoc multa comprobant. Nam in primis filij regum sunt bene nati, bene educati & instituti. Deinde sunt Populo magis grati & cari, quam externi: diliguntur tanquam alumni & consortes. Et hinc est vt populus libentius suscipiat eiusmodi Regem & ei libentius pareat. Deinde huiusmodi reges probe nouerunt mores, vires, & potentiam populi, & ingenia hominum subditorum. Præterea cum externi suffragio

diliguntur.

diliguntur, solent mores gentis & patriæ mutare, ægre eis populi parent, aliquando etiam rebellant. Adde his, quod sub Regibus successione ad regnum venientibus, minus populus tributis vexatur: quia cum Reges suffragio Regnum capessunt, necesse est, ut populus noua munera offerat, noua soluat ut militum stipendia, noua quoque hostilitia pareat & exhibeat ad recipiendos eos, qui cum nouo externo rege veniant. Insuper veniente Principe, cum Regnum suffragijs acquiritur, de successore subinde contulatur, struuntur illi insidias, oriuntur coniurationes & factiones, calumniæ texuntur. Item nobiles & primarios viros magna dominandi libido incescit: iisdem ingenti ambitione, ad regnum aspirant: quilibet ad id se satis dignum & idoneum putat, ægre alteri cedit, prædicat sua, eleuat aliena, suffragia aucupatur: singulorum animos & voluntates conciliare sibi nititur, muneribus & pecunijs, fraudibus, promissis, forsitan etiam minis, & mille alijs artibus. Vixitidem electio sit sine odijs, dissidijs, tumultibus, calumnijs, detractionibus, & corruptio-nibus suffragiorum. Accedit quod qui eligitur, postea fauet suis, eos amat, colit, ad honores, dignitates, & officia promouet, alijs aduersatur, eos deprimat, negligit: ac proinde non facile omnibus fidiã. Interregia etiam sæpe longa contingunt, in quibus populus sine Principe fluctuat: omnia rapinis, latrocinijs, & cædibus replentur: via publica tutæ non sunt, ciuitates, & populi turbantur. Quid quod regna non raro mutantur, & ad nouas familias transferuntur? ætarijs, & iura libertatis imminuuntur, quia ea minus curant reges, qui per electionem, quam qui per successionem sunt. Immo, hi Reges curant, dum viuunt, ut regnum ad filios & posteros transeat: nam suffragia aucupantur, & filium, aut nepotem eligendum curant, quantis maximis rationibus possunt. *Egidius Romanus, de Regimine Principum lib. 3. part. 2. cap. 5. Tres, inquit, potissimæ rationes sunt, quibus probatur, melius esse, ut per successionem Regnum capessatur: Prima sumitur ex ipso Rege, qui Regnum administrat: nam eo ipso quod in Regno est filius successurus, ipsum Regnum administrat. Et curat tanquam bonum suum ac proprium, & potest in suis filijs & posteris duraturum. Secunda ratio ducitur ex filio, qui in regno succedit: Nam filius imitatur mores, & exempla patris: paternæ administrationis formam seruandam curat: ac proinde minus periculosus est, ut insolentior fiat. Tertia ratio accipitur ex ipso populo qui regitur. Consuetudo enim est ueluti altera natura, ergo Imperium & Principatus visu ipso & consuetudine sunt quasi naturales, & populus assuetus imperijs patrum, filiorum & nepotum, quasi naturaliter patet: quo autem magis voluntarium aliquid est, eo est facilius, incandens & gratus.*

Obijcies: Si per electionem regno aliquis præficatur, minus certe expositum est Regnum casui, siquidem arte & consilio id factum esse videatur: præficatur enim is qui dignior, & magis idoneus, & melior cæteris videtur: optimum quemque Electio inuenit. Imperatoris omnibus debet eligi ex omnibus: Nasci à Principibus fortuitum est: cooptandi vero iudicium integrum est: consilio & prudentia electio tractatur: ac cum successione regnum comparatur, exponitur quasi sorti & casui: nam incertum est, qualis erit filius, ad quem est regnum peruenturum. Respondeo, plura, & maiora euenire incommoda & mala, cum Rex per electionem creatur, quam cum per successionem suscipitur. Dices, Imperatorem Romanorum Electorum suffragijs creati, ut etiam Poloniæ, & Daniæ Reges suffragijs deliguntur, & nihilominus huiusmodi regna præclare & feliciter administrantur? Respondeo hæc fieri legibus constitutis ac moribus earum gentium, ac populorum receptis: & principio iam dixi, sermone hic non esse de Regno, quod regibus, populorum more atque instituto per electionem acquiritur.

Secundo quaeritur, Vtrum Regnum quod ratione sanguinis ad filium defertur, filio primogenito ipso iure debeatur? Respondeo, debere: id enim colligitur ex *ca. Licet, de*

*Voco, & voti redempt. ut doce ibi Panormitanus, & cæteri Doctores: & ex ca. Grandi, de suppleta neglig. Pralat. in Sexto: ubi id docet Francus: idemque etiam Panormitanus tradit in consilio 80. libro primo. Oldrad. consil. 93. & 232. Alberi. in l. Donationes. G. de Donationi. inter virum & uxorem. Cardinalis in cap. Ius naturale, distincti. prima. Paulus in consil. 164. volumin. 2. Decius in consil. 397. Antonius Corsetus in Tract. de potestate Regia part. 2. quæst. 9. Martinus Lauden. in Tract. de primogeni. quæst. 3. secutus Hostiensis, & Baldum in l. hoc iure ff. De Iusti. & in. Hoc idem probat generalis omnium gentium consuetudo, qua primogeniti semper hactenus in Regno hereditario successerunt, & succedunt: Vnde lib. 2. Iustinus scriptum reliquit: *Mortuo Dario Hystaspis filio, Rege Persarum, multi reliqui sunt filij, ex quibus Arthemenes natus maximus, a patre privilegio Regnum sibi vendicabat: quod ius, & ordo nascendi, & naturam ipsa gentibus dedit. Cum idem Darius profecturus esset in bellum contra Aegyptios, ingens inter liberos eius orta est contentio de Principatu, quoniam instituo Persarum oportebat ita demum Regem in expeditionem ire, cum successorem in regno declarasset: Artabaz. eius maximus natus dicebat se successorem declarandum, quod apud omnes homines institutum sit, ut maximus natus liberorum obtineat principatum. Herod. li. 7. in principio.**

Inter Parthos receptus mos fuit, ut filius natus maximus Regnum susciperet. Sic Iustinus lib. 41. In Macedonia ius succedendi in Regno, deferabatur ad filium primo genitum. Diodor. li. 16. Vnde Lilius li. 40. ait: *Cum Perseus natus maior Demetrii Regis filius, Demetrium fratrem accusaret apud patrem tanquam vita sua insidiantem, ut in Regno succederet: Erater, inquit, non commessantium more inuicem iudicium uiuimus: inter nos regnare utique. Huius spei tua obstat: ac ne mea, obstat gentium ius, obstat uetus Macedonia mos. Obstat et patri iudicium: huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes.*

Iosaphat plures filios habens, dedit eis multa munera auri, & argenti, cum ciuitatibus munitissimis in Iuda: Regnum autem tradidit Intam, eo quod esset primogenitus. 2. Paral. ca. 21. Apud Lacedæmonios eadem consuetudo fuit, ut testatur Plutarchus in A gesilao. Item, apud Gothorum nationem barbaram, ut refert Ioannes Magnus li. 16. c. 17. sua Historia. Eadem lex erat apud Polonos olim, ut narrat Cramerius lib. 2. Multa congerit ad huius legis, & consuetudinis æquitatem comprobendam Tyraquell. Tract. de Primogenijs, in Præfat. n. 4. Ioannes Leciriet de primogenitura q. 13. li. 1.

Sed quid dicendum est, si gemini nati sint? Respondeo, eum in regno succedere, qui primo fuerit in lucem editus, ut contingit in Iacob, & Esau. Genes. 25. Quid si non apparet manifeste, uter eorum prior in lucem prodierit? Respondet Ioann. Andr. in Additionib. ad Speculatorem, libro quarto, c. 31. de Feudis. Si pares sint consilio, prudentia, iudicio, & virtute, res poterit forti committi: vel pater potest vnum alteri præferre, ut sit gratia locus. Si pares non sint, prudentiori, & digniori dandum est regnum. Oldrad. consil. 94. rationes affert, in quibus tale ius inuicem, ut scilicet primogeniti in regno succedant. Ratio ipsa præscribit, inquit, ut filius natus maximus regnum accipiat: quia est ceteris honorabilior, & etate maior, ac proinde prudentior, & sapientior, & robustior: iuniores item (senioribus) deferunt honorem.

Tertio quaeritur, An Rex testamento filium primogenitum regno pro arbitrio suo priuare possit? Respondeo, minime. Innoc. in ca. Licet, de voto, & voti redempt. Francus, & alij in ca. Grandi, de suppleta neglig. Pralat. in sexto. Abb. in ca. Intellecto, de iurcurand. Antonius Corsetus in Tract. de potestate Regia, part. 2. qu. 8. Martinus Lauden. de Principibus quæstio. 130.

Quæres, An Rex nutu suo possit regnum inter filios diuidere? Respondeo, minime: nam sic potestas Regia minueretur, & paulatim regnum interiret. Regnum igitur est indiuiduum. Bald. in Authen. Hoc amplius, n. 7. de Fidei commissis, Oldradus consil. 94. Martinus Lauden. de Principibus q. 20. Quid si Rex plura regna habeat, iure ne poterit vnum regnum vni filio, alterum alteri dare? Respondeo, posse

id facere filiorum consensu: tunc enim regnum non diuidit. *Baldus in cap. 1. §. Item Sacramenta, lib. 2. Feudorum, de Pace in am. firmam. Et in predicta Auth. Hoc amplius, numer. 20. Marti. Laud. de primog. q. 13. Anso. Corf. de potesta. Regia p. 2. q. 7.*

Quarto queritur, An filius primogenitus in Regno succedat, si impubes sit? Respondeo, succedere ei, tamen dati tutorem ante pubertatem debere, vel curatorem post annos pubertatis. *Bartholus in l. Quisdam consulebat. ff. de sent. Et re iudic. Bald. in l. Ist. C. de testamen. militis, Oldrad. consil. 52. Abb. Et Felu. in c. Cum vngesimus, De offic. iudic. delegati.*

Quinto queritur, An primogenitus filius in regno succedat, si fuerit infans, si mutus, surdus, cæcus, aut tota corporis effigie deformis, vel ineptus ad regni administrationem? Respondeo, hic esse distinguendum? Aut enim est natura perpetuo ineptus ad regnum administrandum; aut casu tantum, vel morbo. Si natura perpetuo sit ineptus, & inhabilis, in regno minime succedit: & tunc regnum ad filium secundo genitum spectat. *Bald. in dicta l. Hoc amplius, Et in l. Si quis prioris, §. Talem, C. De secundis nupt. Martinus Laud. de primogenit. quæ. 40. Dices consuetudinem, & Legem obstat, quæ habet, ut regnum ad primogenitum deferatur? Respondeo, legem, & consuetudinem debere non in hac parte benigne interpretari, videlicet primogenitum esse peius preferendum, nisi hoc sit in pethicium, & interitum, siue contra communem utilitatem, & salutem regni: At quod primogenitus natura, & perpetuo demens, siue ineptus ad regnum rex sit, obstat communis regni utilitas, & salus. Poterit, inquit, per tutorem, curatorem ve regnum administrare. Primogenito itidem natura, & perpetuo amenti, vel inepto ad bonorum administrationem legitima hæreditatis portio non denegatur, ergo nec regnum est denegandum. Respondeo, longe disparem esse rationem in regno, ac in privato patrimonio, quia ciuium, & populorum interest boni regni administratio, at hæc esse nequit etiam per tutores, vel curatores, si primogenitus sit natura, & perpetuo demens, vel ineptus ad regnum.*

Si vero primogenitus casu, vel morbo sit infans, vel ineptus ad regnum administrandum, non est regno priuandus, sed adiutore digno, & idoneo subleuandus.

Cleomenes Spartanorum rex infans effectus, non est regno priuatus. *Herodotus lib. 6.*

Ozias Iudæorum Rex lepra est diuinitus percussus, & infectus, & tamen per filium adiutor, & socium, regnum administravit, quamdiu vixit. *4 Reg. 15. Et 2. Paral. 26.*

Sesoftris Ægypti rex oculis captus, non est tamen regno spoliatus. *Herod. li. 2. Et Diodor. li. 2.*

Filius eius Peron luminibus quoque orbatus, regnum retinuit. *Herod. li. 2. Et Diodor. item li. 2.*

Agefilaus etiam altero pede claudus, ad regnum Lacedæmoniorum vocatus est. *Iustinus li. 6.*

In Comitibus Vngariæ Colomannus primogenitus Geyse regis Vngarorum, eo nomine primi ad regnum assumptus est, quamuis statuta breuis, lingua blæsus, altero pede claudus, gibbosus, membris hispidis, & pilosis posthabito Alno fratre, teste *Bonfin. Decade. 2. li. 5. de Rebus Hungaricis.*

Philippus rex Macedoniæ pater Alexandri Magni, sagittæ iactu dextrum oculum amisit. *Iustinus li. 3. ad finem.*

Antigonus quoque Rex Macedoniæ, fuit vno oculo orbatus. *Macrob. li. 7. Saturnal. c. 3.*

Candace Æthiopum Regina, fuit vno oculo capta. *Vollaterra li. 10. Anthropologia.*

Phineus Paphlagoniæ Rex, fuit cæcus, *Appollonius Rhodius in Argonauticis.*

Ingo Haraldus Hybernensis Regis Noruegiæ filius, gibbosus fuisse fertur. *Saxo li. 18.*

Carolus Octauus Gallorum Rex, teste *Pontano li. secundum, c. 34.* totius corporis effigiem deformem habuit.

Claudius Imperator, Drusi filius, væcoris fuit & stultus, teste *Suetonio c. 38. Et 39. Et sex. Aurelio, Et Baptista Egnatio.*

Carolus VI Gallorum rex, factus est amens, & eo vi-

uente patris eius regnum sibi commissum administrauit. *Paulus Æmil. li. 10.*

Sexto queritur, An primogenitus, si fuerit Clericus in sacris Ordinibus constitutus, succedat in regno? Respondeo, succedere nisi consuetudo, vel statutum peculiare obstat. *Martinus Laud. de Primogenitu. qu. 30. Albericus in Auth. Ingressi de Sacros. Eccles. n. 16.*

Septimo queritur, An primogenito religionem professo, regnum ad Monasterium, siue Religionem, quam est professus, & quæ bonorum temporalium est capax, transeat? An item ipse primogenitus Monachus siue religiosus ante effectus in regno succedat? Responderet *Baldus in l. Deo nobis, §. Hoc etiam, C. de Episcop. Et Cleric. nec religiosum in regno succedere, nec regnum ad Monasterium tranfire, sed ad fratrem natum secundum, vel si frater nullus extet, ad alium quemlibet sanguine propinquorem. Gloss. in c. Scripsit nobis Theutberga, 27. quæst. 2. ait, Eo ipso quod quis efficitur Monachus, desinit esse Rex, Imperator, Papa, vel Episcopus. Item tradit *Barbar. in Tractat. de Prefectura Cardinalium in qu. 5. principali prima part. nu. 13. Antonius Corf. in Tractat. de potesta. Regia part. 4. qu. 60. Martinus Laud. de Principibus. 19. quamuis in quæst. 284. dicat: si filius Regis, vel Ducis Monachus fiat, Regnum, vel Ducatus, cum per successionem filius debetur, acquiritur ipso iure Monasterio. Sed ius, inquit, in hac parte non seruatur, alius fecit. Nam cum per electionem regnum datur, electores possunt quem maluerint, eligere. Idem, teste *Alberico in Authen. Ingressi. D. de Sacrosan. Eccles. tenet Alanus: quoniam in ea Authentica habetur: bona ingredientium in Monasterium, ad ipsum Monasterium tranfire. Sed reuera communi consensu est recepta sententia Baldi, & Glossæ, videlicet, primogenito effecto monacho, regnum ad fratrem secundo genitum deuoluatur. Item, si Rex monachale institutum profiteatur, regnum ad cognatum sanguine propinquorem defertur. Sic etiam *Alexander consil. 98. n. 7. volum. 6. Nam Monachus factus est miles Dei, & eo ipso diuinus, non secularibus rebus inseruit. Nec obstat superius allata Authentica, Ingressi: quia illa solum locum habet in alijs bonis ingredientium Monasterium.****

Octauo queritur, Quid dicendum, quando primogenitus antequam regnum adipiscatur, incidit in crimen, ob quod iure bona confiscantur, ut puta si reus sit læsæ maiestatis, vel si hæreticus fiat, vel incestas nuptias cõtrahat? Respondeo, eo ipso regnum ad fratrem secundo genitum deferri, si vero frater nullus extet, ad alium sanguine propinquorem, quod si nullus eorum adsit, tunc Principis, & Romani Pontificis auctoritate, primogenitus in regno succedit, quia cum Rex superiorem non habeat, filius non est, ad quem regnum deuoluatur. *Gloss. c. etsi nullo, de donationi. inter virum Et uxorem, in verbo, Restitui. Unde pari ratione cum regnum est hæreditarium, consuetudine, vel lege ad propinquiores ex sanguine semper defertur quamuis millesimo etiam gradu distent. Baldus in cap. 1. de Feudo Ducali, Marchion. Gualterius cognomento Monis Ferrati Tract. de successi. dub. 1. quæst. 39. At in alijs successiõibus hæreditarijs post declinum gradum, filius admittitur, in successiõibus regnorum filius locum non habet. *Gloss. Et Bald. in locis modo citatis, Et Martinus Laud. in Tract. de Principibus qu. 443. Antonius Corf. de potestate. parte quinta, quæst. 101. Bartholomæus Capolla in cautela 93. quæ incipit: Est dubium.**

Nono queritur, An spurij in regno iure succedant? Respondeo, si filij legitimi, & naturales extant, non succedere: regnum enim hæreditarium filijs naturalibus, & legitimis iure, vel consuetudine debetur. Nam si spurij succedant, periculum est, ne regnum intereat, aut graue damnum patiat. Spurij etenim plerumque audaces sunt, & ad vitia paterna, & deteriora procliuus: & sapè dominandi libidine, prolem legitimam, & naturalem è medio tollendam curant, ut sibi principatum vendicent: exemplo sunt *Ismael ex ancilla natus, qui persequabatur Isaacum liberæ filium, ut merito dictum sit Abrah-*

mo patri: *Eijce ancillam, & filium eius, non enim erit heres filii ancillae cum filio libera.*

Abimelech filius spurius Ieroboal, vt regnaret post obitum patris sui, occidit septuaginta fratres alios patris naturales, & legitimos, excepto minimo Ioathan, vt *testatur liber Iudicum.*

Pharahartes Michridatis Parthorum regis filius spurius natus, ex Tharmusa Italica femina, patre occulte interempto, occupauit regnum, quod tribus filijs legitimis, & naturalibus debetur, & illud sibi retinuit, donec Parthi, quia incesto se polluerat concubitu, regno deiecerunt: & expulsi breui interijt.

Pharahartes quoque filius Herodis regis Parthorum ex pellice natus, patrem senem, & triginta fratres, quos ex concubinis etiam pater genuerat, interfecit, vt solus regnum obtineret. *Iustin. lib. 42.*

Iugurtha spurius ex Manestabile filia Masinissa regis Numidarum, adopratus à Micipsa fratre Manestabilis, & regni confors effectus, cum duobus filijs Micipsae Hiempsale, & Adherbale, Hiempsale necato, & expulso Adherbale sibi totum regnum vindicauit. *Sallust. in bello Iugurth.*

Manfredus Federici 2. Imperatoris filius spurius, ex concubina susceptus, Princeps Tarentinus, & Rex Siciliae designatus, fertur patrem ex graui morbo conualecentem suffocasse, & Conradum fratrem ex legitimo coniugio natum, & a patre heredem institutum veneno subulisse. *Antoninus in 3. part. tit. 19. c. 6. §. 4. Blondus lib. 7. De cap. 2. Platina in vita Innocentij IV.*

Philippus Demetrii filius duos filios habuit, vnum ex iusto matrimonio Demetrium minorem natum, cui ex lege regnum debebatur: alterum nomine Perseum natum maiorem ex pellice genitum. Hic apud patrem calumnijs tantum valuit, vt Demetrium è medio sustulerit, & ita mortuo patre regnum contra fas, & legem obtinuit. Sed cum bellum contra Romanos suscepisset, à L. Lepido Emilio victus & captus, & in carcerem trusus, regnum & vitam amisit. *Plutarch. in Emilio.*

Iacobus nothus Ioannis Cyprij regis filius, vi & auxilio Paganorum regnum ademit Carlotæ filia naturali, & legitima Ioannis: & tandem factum est, vt eo mortuo regnum ad Venetos perueniret. *Bonfin. lib. 8. d. c. 3.*

Henricus 2. Alphonsi XI Hispaniarum regis filius nothus, Petrum fratrem suum legitimum, qui post patrem Alphonsum in regno successerat, interfecit: & regno potitus est. *Annales, & Chronica Hispania. Rituus lib. 3. de Regibus Hispania.*

Regnum itaque filio legitimo, & naturali debetur: & hoc maxime conuenit cum scriptura ipsa, & iure diuino, Canonico, & naturali. Cum scriptura quidem, quoniam Abraham Isaacum Saræ filium heredem instituit, filios vero ancillarum ab hæreditate exclusit, & muneribus tantummodo donauit, *Vt liber Genesis tradit.* Filij quoque ex scorto nati, vt est in *Daueronomio*, in Ecclesiam Domini nequaquam admittebantur. Congruit etiam cum iure Canonico. nam in c. *Cum cunctis*, c. *Innotuit*, de elect. & *Vt filij*, & c. *Nimis*, de filiis presbytero: filij extra iustum coniugium nati à beneficijs Ecclesiasticis, & dignitatibus excluduntur. Iure itidem ciuili, ad honores, dignitates, & officia publica nequaquam admittuntur: si legitimi, & naturales extent. *L. Generaliter*, §. *Spurios*, & *L. Spurij*, ff. De Deturion.

Tempore Caroli Magni, inter alias leges, vna est constituta, Ne in posterum in Regno Gallorum spurij filij, etiam si eos pater, vt filios agnouerit, succederent. Ratio etiam ipsa naturalis id probat, quia iuregentium receptum videmus, vt spurij non succedant in Regno.

Aristo Spartanorum rex Demarathum filium, vt nothum, quia cum natus est Demarathus, ipse Aristu pater subducta ratione, quod à nuptijs nondum decem menses effluerant, negauit suum esse filium: vt testatur *Suidas.*

Agis quoque negauit ex se editum esse Leotychildem, & proinde noluit eum in regno succedere, quamuis ex Timæa natus esset.

Margaritæ Flandriæ Comitissæ, spurij Ioannes, & Balduinus filij, ex Gulielmo præceptore, furtiuo complexu nati, à successione reiecti sunt, eo quod extarent legitimi, & naturales fratres. *Paul. Emil. lib. 7. de histor. Francor.*

In Regno Sueuorum, Gothorum, & Noruegiorum spurij viles habentur, & ita penitus negliguntur.

Dicit aliquis, spurios etiam multos fuisse Duces, Reges & Imperatores. Nam (vt *Iudicum narrat historia*) Iephte Galaadites spurius, Israellem populum iudicauit. Themistocles spurius etiam fuisse perhibetur. *Plutarch. in Themistocle, Athene. lib. 13. cap. 33.* Timotheus Cononis filius ex scorto natus, fuit Atheniensium Dux. *Athene. lib. 13. cap. 3.* Arnulphus Rex Germaniæ, & Imperator Romanorum, fuit filius Catolomanni Regis Bauriæ, frater Caroli Crassi, ex concubina genitus. *teste Sigonio lib. 5. de regno Italia.* Theodoricus Ostrogotorum in Italia Rex, tertur spurius fuisse, *Ioannes Magnus libro nono, Rerum Sæptentrional. ca. 9.* Suenoni I. Danoru Regi spurij filij multi fuerunt, qui eidem in Regno successere. Primo, Haraldus; deinde Canutus, & alij deinceps. *Saxo. lib. 11.* Arnulphus Züendebaldum filium suum ex concubina fecit Regem Lothariensium, *Sigebertus in Chron. 986.*

In Scotia Gillus Queni eo nomine primi filius nothus regnauit. *Ioan. Lesleus lib. 2. de reb. gestis Scotorum.*

In Castella Henricus II. frater Petri cognomento crudelis, filius Alphonsi XI. nothus regnum obtinuit: vt habetur in *Annalibus Hispania.*

Guilielmus Normannus Roberti Normanni Ducis nothus filius Angliæ Rex fuit. *Polydo. lib. 8. de histor. Anglicana.* Respondeo, hos & alios similes fuisse legitimos effectos auctoritate Principis, vel Reipublicæ: aut certe successisse procerum suffragijs, cum Principatus non per successionem, sed per electionem daretur, aut factu, non iure eos regnum adeptos.

Sed quid dicendum, cum nullo filio legitimo, & naturali extante, Rex spurium filium habeat? Respondeo, tunc ipsius auctoritate posse spurium fieri legitimum. Nam quemadmodum Rex ius, & potestatem habet alienos spurios legitimis restituendi natalibus, cum iusta subest causa; sic etiam proprium filium spurium potest legitimum efficere, cum nullum filium ex iusto matrimonio suscepit, ne regnum ad alteram familiam transferatur.

Decimo quaeritur, Quid dicendum, quando filium primogenitum pater suscepit, antequam Rex esset, & deinde Rex effectus, ex iusto quoque matrimonio secundum filium generauit, succederet ne tunc in Regno filius nati maior, & genitus ante regnum susceptum, an vero filius nati minor, à patre genitus post regnum obtentum? Hanc agitauit controuersiam Ioannes Lecier *Tract. de primogen. libr. 1. quaest. 12.* De ea disputant aliqui Canonici iuris interpretes, in cap. *Inter ceteros*, de *rescrip.* Alij in cap. *Ad extirpandas*, de *filijs presbyt.* Vetus fuit hæc quaestio, cuius meminere Iustianus *lib. 2. breuiter*, & Herodorus *copiose libr. 7. in principio.* Verba Herodoti sunt: [Darius expeditionem sumere properabat in Aegyptios atque Athenienses: dum autem hæc comparat, interea ingens inter eius liberos de Principatu exorta dissensio est, quoniam ex instituto Persarum, oportebat ita demum ire in expeditionem, cum Regni successorem declarasset. Erant autem Dario iam antequam regnaret, filij tres è prima uxore Gobriæ filia suscepti, & post partum regnum alij quatuor ex Atosa filia Cyri: Superiorum maximus natus erat Artabazanes, posteriorum Xerxes: qui cum ex eadem matre non essent, disceptabant, Artabazanes quidem, quod omnis paternæ sobolis maximus natus foret, cum apud vniuersos homines sit institutum, vt maximus natus liberorum obtineat principatum: Xerxes vero contra, quod ex Atosa genitus esset filia Cyri, qui Persis libertatem acquisiuisset. Dario autem non ferente sententiam, aderat forte Demarathus Aristonis filius, qui per id tempus altercationis Spartano regno exurus, ac Lacedæmonæ profogus Sulan ascenderat. Hic vir

audita

audita liberorum Darij controuersia, adiit, (vt fama fertur) Xerxem, & admonuit, vt ad cetera, quae pro se dicebat, hoc adderet, se quidem genitum esse Darij iam Rege, & Persarum Imperium obtinente, Artabazenes vero esse Darij, dum esset priuatus: ac proinde neque æquum, neque iustum esse, alium quempiam potius illam dignitatem adipisci: quoniam Sparæ quoque sic vsurparetur, vt si cui antequam regnet, filij nascantur, deinde regnanti alius nascatur, huius postea nati successio regni sit. Hac à Demaratho suggesta ratione videntem Xerxem, tanquam iusta dicentem, Darij Regem declarauit.] Sic Heiodorus.

Carolus Siciliae Rex filios habuit, quos susceperat ex vxore, antequam regnum consequeretur: deinde regnum adeptus, alium genuit, qui in regno successit, filij ante progenitis prælati. Hac quæstio locum habet in eo Rege, qui cum priuatus vir esset, filium genuit, & postea ad regium fastigium euectus, alium filium suscepit, & in eo, qui cum primogenitus filius non esset, sed nati minor, in regno successit, primogenito fratre, sine liberis mortuo, habens filium ex legitimo coniugio susceptum antequam regnum. Ioannes Lecirier loco supra citato testatur duas esse sententias: Vnam eorum, qui docent, filium natum post regnum obtentum à patre succedere: & citat idem Auctor Cynum, Petrum de Bella Partica, Baldum, Albericum, Dinum, Iacobum Arenam, Ioannem de Anania.

Communis est inter Iuriconsultos opinio, vt refert Anton. Corsetus de potestat. Regia 3. par. 9. 26. filium natum antequam pater Rex esset, filium Regis non dici, nec in regno succedere tanquam natum maximum. Sic Doctores, præsertim Cynus in l. Imperialis. C. de Nuptiis, Bartolus in l. Cum facta. C. de Agric. & Cens. libr. 11. & in l. Senator, & in l. Si Senatores, C. de Dignitatibus lib. 12. & ibi Ioannes Platea, & Doctores, Martinus Lauden. de Principibus. quæst. 441. Glossa in ca. Iam itaque 1. quæst. 4. sic ait: si quis habet filium, & postea Decurio creatus, ille filius non dicitur filius Decurionis, sed illi tantum, qui postea geniti sunt.

Altera sententia eorum est, qui dicunt, regnum ad filium, quem pater genuit, cum vir priuatus esset, defari. Sic Ioannes Lecirier loco prædicto, & ait, sic sensisse Albericum, quamuis sibi contrarium, Salicetum, Ioannem Fabrum. Reuera Salicetus in prædicta lege Imperiali, docet filium Regis dici eum, quem pater genuit antequam Rex esset, & tanquam primogenitum in regno succedere. Sic etiam Franciscus Ripa in capit. Inter ceteras, de rescript. nu. 13. & 15. & valde probabilis est hæc sententia: quia filius ratione sanguinis succedit in regno, & filij ante, & post dignitatem regiam nati, eiusdem sanguinis, & generis sunt, & eiusdem patris filij, ergo maximus natus, quamuis ante regnum genitus, iure succedit. Adde, quod filius genitus ante sacerdotium, vocari potest filius Sacerdotis, vt probant Doctores in capit. Inter ceteras, de præscript. & in cap. Ad extirpandas, de filij presbytero. Et in l. Senatoris filium ff. de Senatoribus, habetur: Nec interest an in Senatoria dignitate constitutus eum susceperit, an ante dignitatem Senatoriam. Item tradit Iuriconsultus in l. Motis. §. Libertos, ff. de Pœnis: Liberos non tantum filios accipere debemus, scilicet, vt propter priuilegium concessum patri Decurioni non subijciantur pœnis vulgaribus, verum omnes liberos: sed utrum qui post Decurionatum suscepti sunt, his pœnis non afficiantur: an vero omnes omnino liberi etiam in plebeia familia suscepti, videndum est: & magis puto omnibus prodesse debere. Sic ille. Et idem colligitur ex l. 2. §. Filij, ff. de Decurioni.

Teste itidem Plutarcho in Artaxerxe, Darij Rex Persarum inter duos filios de Regno contendentes, hanc sententiam pronuntiauit. Darij etenim ex Parysatide vxore, filia Artaxerxis Micmonis, duos reliquit filios, Artaxerxem, qui & Articas antea dictus est, & Cyrum natum minorem. Mater magis fauebat Cyro, vnde patre iam ægro accessit à matre, profectus ad aulam est, maxima spe, vt successore regni declararetur. Etenim ratione nitentur Parysatidis speciosa, quia Xerxes olim vsus erat suggerente

Demaratho, Articas se priuato, regnanti Cyrum Darij peperisse. Adduxit tamen Darij in suam sententiam, led ætate prior designatus est Rex, & nominatus Artaxerxes, Cyrus vero, Lydiae Sarrapa, & Orae maritimæ Dux.

Neque his obstat iudicium Demarathi pro Xerxe contra Artabazanem: nam Xerxes fuit filius Darij non solum post dignitatem regiam natus, sed etiam ex filia Cyri Regis Persiarum, & forore Cambysis susceptus, & ita ex regia familia Cyri genus ducebat, led Artabazanes fuerat Darij natus, non solum cum priuatus vir esset, sed etiam ex vxore priuati, non regij sanguinis. Nec item obstat, quod dicitur in l. Si Senator. C. de dignitatibus lib. 12. nec id quod habetur in l. vltim. C. de Decurionibus, vt patet si eas leges recte consideremus.

Vndecimo quæritur, An si Rex iam vita defunctus reliquerit ex filio primogenito ante demortuo nepotem, & alium filium superstitem, præferendus sit nepos patruo, an contra patruus nepoti, hoc est, quætere, An nepos patruus excludat, an contra patruus nepotem? Magna fuit semper inter Iuriconsultos de hac re controuersia. De ea tractarunt Oldrad. consil. 94. & 224. Ioannes Lecirier in tract. de primogen. lib. 1. q. 25. Decius consil. 443.

Duae sunt Auctorum sententiæ: Vna est dicentium, nepotem esse præferendum. Ioannes Lecirier ait sic sensisse Ioannem Laudensem, Oldradum, Armandum, Ioannem Audream, Abbatem, Paulum Castrensem, Franciscum Aretinum, Andream Barbaria, Socinum, Ioannem Fabrum, Felinum. Eandem sententiam sequi videtur Baldus in l. antiquioribus, C. de iure delib. vbi ait, ita esse in Anglia & Galia iudicatum: quamuis in consil. 275. par. 2. dicat hanc quæstionem potius sitam esse in subtilitate ingenij, quam in certo aliquo iure: & pro hac, vel illa parte certam sententiam ferre, non esse viri sapientis.

Altera opinio docet, per patruum nepotem excludi: cuius sententia Lecirier loco citato dicit esse, Richardum de Malumbriis, Cynum, Bartolum, Oldradum sibi alioqui contrarium, Baldum sibi quoque contrarium, Salicetum, Andream Isermensem, Archidiaconum, Anchatanum, Imolam, Geminianum, Francum, Alexandrum, Imolensem, Iafonem. Certe pro nepote multa faciunt, & in primis quæ proferam in medium exempla.

Henricus enim 2. Rex Angliæ, teste Polydoro lib. 13. filios quatuor habuit, Henricum, Richardum natum secundum, Gaufridum tertium, & quartum Ioannem. Gaufridus duxit vxorem Constantiam, hæredem Britannia: qui, viuente patre Henrico 2. mortuus est relicta vxore Constantia prægnante: quæ peperit Arthuro. Mortuo Henrico 2. successit in regno Richardus, ordine secundo genitus: quo sine liberis decedente, orta est contentio inter Arthuro ex Gaufrido relicto, & Ioannem filium quartum Henrici, & fratrem ipsius Gaufridi: ac proinde patruum Arthuri. Porro Philippus, cognomento Augustus Rex Gallia, qui regnauit circa annum 1181, Iudex tali in causa legitimus constitutus pro Ducatu Normannia, cum Arthuro adiudicauit, & alia quæ Richardus in Gallia possederat. Polydor. Virgil. lib. 15. de Hist. Anglic. & Paulus Æmil. in Carolo Pulchro.

Edoardo 3. Rege Anglorum mortuo anno 1378. Richardus 2. Edoardi ex Edoardo filio nepos, Princeps Vuallia: fuit coronatus Rex, & prælatus patruus Ducibus Leucastræ, Clarentia, Locestria, & Yorcha, vt narrat idem Polydorus in Hist. Anglic.

In Portugallia Rex Alphonsus hoc nomine V. habuit Ferdinandum, & Henricum primogenitum, hic viuente patre decessit relicto filio Ioanne: qui Ioannes post obitum aui Alphonsi coronatus est Rex, post habito patruo Ferdinandando: vt refert Decius in consil. 443. in 2. par. 3. volum.

Agathocles Siciliae Rex, in morbum incidit, quo tempore orta est contentio inter filium, & nepotem, vter esset in regno successurus: & bello commisso, occisus est filius, & nepos regnum occupauit. Iustinus lib. 23.

Cleomenes Spartanorum Rex, duos filios suscepit Acrotatum, & Cleonymum: quorum filiorum Acrotatus mortuus est patre superstitite: & relicto filio Areo, Cleomene è vita excedente, orta est lis inter Cleonymum, & Areum Acrotati filium de regno. Senatus vero pro Areo sententiam tulit, & ei regnum addixit. *Pausanias in Laconicis, libro 3.*

Idem iudicantur vniuersi proceres Galliz imperante Ludouico Crasso circa annum Dom. 1110. in contouersia de successione in domo Borbonia. *Paulus Emil. in vita Ludouici Crassi.*

Regnante itidem Carolo Pulchro Rege Galliz, anno 1330. proceres Galliz iudicantur, Comitum Niuernensem succedere in Comitatu Flandriz, & præferri patruo, eo quod filius esset primogeniti ante patrem demortui. *Paulus Emil. in vita Caroli Pulchri.*

Idem est iudicatum per senatum Parisiensem cum regnaret Philippus Valensius in Gallia circa annum Dom. 1328. in quaestione de successione in Ducatu Brianniz inter patruum, & nepotem. Eadem quoque est sententia lata regnante Francisco I. huius nominis Rege Gallorum, in causa successione in Comitatu Foxensi: & anno 1310. Auenione idem est iudicatum in contouersia de successione in Comitatu sancti Severini inter Thomam filium primogeniti, & Iacobum patruum.

Præterea sub Henrico Primo, & deinceps sub Othone Magno in Alemania ob similem litem, & controersiam celebrata sunt Comitia, & statutum, ut duello controersia dirimeretur: quo in duello victores fuerunt, qui pro nepotibus pugnarunt: ut refert *Vitichindus lib. 2. & Sigiberus in Chron. anni 942.* cuius duelli meminit Iason in *l. Maximam vitium. C. de liberis præteri.*

Eandem sententiam rationes & argumenta confirmant. In primis filius patris personam representat: vnde filius habet eadem iura quæ patrem. Deinde, nepotes in bonis aui habent eandem portionem, quam esset habiturus pater eorum si viveret.

Præterea si vnus ex liberis moriatur, antequam pater, vel mater ad secundas nuptias transeat, & relinquat filios, lucrum quod acquiritur ex secundis nuptiis, non datur tantum filiis superstitibus, sed etiam nepotibus ex filio demortuo in ea parte, quam erat consecutus pater, si viveret. Item operæ promissæ a libertis duobus patronis, vnus mortuus, si filios reliquerit, non accedunt alteri patrono superstiti, sed liberis ex patrono mortuo relictis.

Altera quoque sententia, quæ affirmat patruum esse nepoti præferendum, probatur similiter exemplis, & rationibus. Nam apud Lacedæmonios Agesilaus Leorychidi nepoti filio fratris Agidis prælati est. *refert Pausania in Laconicis lib. 3.*

Guerranus Rex Aureliæ prælati quoque fuit Childerto filio Sigeberti fratris: ut scribit *Aymonius lib. 3. de rebus gestis Franco. cap. 62.*

In regno Castellæ Aurelius frater Froilæ, filius Alphonsi cognomento Catholici, successit fratri Froilæ, prætermissio nepote ex fratre. *Annales Hispania.*

Item, ut in *elsdem Annalibus habetur*, Froilæ eo nomine II. regnavit post fratrem Oardonium posthabitis nepotibus ex eodem fratre.

Sanctius 4. Castellæ Rex, mortuo patre Alphonso X. contra quem ab eo deficientis arma ceperat, quatuor hominum millia trucidari iussit, quod in tumultu quodam Alphonsum fratris sui Ferdinandi cognomento de la Cerda filium, Regem acclamassent, ut refert *Ritius lib. 3. de Regibus Hispania.*

Ludouicus Pius Caroli Magni filius in regno Galliz successit posthabito Bernardo filio Pipini fratris, & primogeniti filii eiusdem Caroli Magni: ut scribit *Paulus Diaconus in vita Caroli Magni.*

Honorius, filius secundus Genferici regis Wandalarum, fuit in regno constitutus, & prælati Gundabando

filio Genfonis primogeniti eiusdem Genferici, *autore Procopio lib. 3.*

Proceres Franciæ anno Domini 1216. adiudicantur Comitatum Campaniæ patruo Henrico, quem prætulerant nepi suæ ex primogenito Comitum Campaniæ, ut tradit *Gothifredus in libr. Expeditionis in terram sanctam.* Sic etiam Philippus Pulcher Rex Gallorum, Comitatum Atrebatensem addixit Mathildæ uxori Othonis Comitum Burgundiz excluso nepote adhuc infante, nato ex primogenito. *Ita Paulus Emil.*

Item in Scotia, teste *Ioanne Leslie lib. 2. de rebus gestis Scotorum*, antiqua Lex fuit, ut liberi Regum ante maturam ætatem relicti excluderentur à regno, ad successorem admittis patris, vel abis sanguine propinquis: quam legem antiquandam curauit Kenetus III. hoc nomine. vnde præter legem, & consuetudinem in eo regno, Reuther adhuc est regio diademate insignitus.

Rationibus idem ostenditur. Primum: Nepos non representat personam patris, quando pater iuris capax non est: nam pater eius antequam moreretur, regnum adeptus non fuerat, ergo nepos patruo præferri non potest, cum in locum sui patris subrogetur, siquidem pater eius, cum mortuus est, succedere in regno non poterat a quo regere viveat. Deinde, pater, hoc est, primogenitus filius regis mortuus ante patrem suum, non potuit succedendi ius, quod non habebat, viuentem adhuc patre, ad filium transmittere: nemo enim ad alium plus iuris transferre potest, quam ipse habeat. *l. Nemo ff. de regul. iuris. §. in 6. & l. Traditio ff. de Acquirend. rerum dominio.* Accedit quod ius primogeniti est personale privilegium, ergo non potest ad hæredes transmitti, quia cum persona extinguitur. *cap. Privilegium, de regul. iuris, in sacro, & l. In omnibus causis, ff. de regul. iuris, §. l. Quia tale, ff. de soluto matrimonio.*

Prima sententia, meo iudicio, probabilior videtur, quia nepos representat personam patris, & pater eius, eo ipso quod primogenitus filius aui regis fuit, ius succedendi in regno acquisiuit, & illud in suum transmisit. At nepos, inquit, non est primogenitus, ergo non succedit in regno, quod primogenito debetur. Respondeo, nepotem succedere, non quidem iure proprio, sed iure patris quem representat. Vigebis: Patri non est acquisitum ius, mortuus siquidem est antequam regnum obtineret. Respondeo, statim ut primogenitus nascitur, ei regnum debetur, hoc est, ei ius ad regnum acquiri, quia iure generis, & sanguinis primogenitus in regno succedit: ideo verius est, ut primogenitus tale ius ad filium transmittat. Nec exempla in contrarium allata, satis firma sunt: quia si patruo prælati nepotibus ex primogenito fuerunt, id locum habuit in regno, qui nec lege, nec consuetudine primogenito debetur: vel quia nepotes facti fuerunt ad regnum inhabiles, cum essent religionem professi.

Duodecimo quaeritur, An rege mortuo sine liberis, & sine fratribus, filii fratrum superstites admittantur ad successione patris reges in stirpes, an in capita? verbi gratia: Titius rex mortuus est sine prole, superstitibus tantum quatuor nepotibus ex quatuor fratribus demortuis, & nullo fratre extante, An illi nepotes succedant in stirpes, an in capita: hoc est, An succedant representando patres suos, an vero suo iure. Et multum refert scire, an nepotes defuncto regi patruo succedant iure representationis, an suo iure. Nam si sine mortuo esse regem, & fuisse illi fratres, & sorores, ex quibus relicti sunt filii, vtrumque regi succedant, an nepotes ex fratribus, an vero nepotes ex sororibus; An stirps consideranda, an singulorum nepotum capita inter se, non secus, ac si filii essent, comparanda, sexus atque ætatis discrimine perspecto? Certe in cæteris bonis, quæ hereditario iure proueniunt, duæ sunt Iurisconsultorum sententiæ, ut tradit *Couarruius in Epi. to. de successione ab intestat. num. 8.* Vna est, huiusmodi nepotes in stirpes esse admittendos. Sic Accursius in *Authen. Cessante. C. de legit. hæred.* ubi habetur: *Cessante successione linea descendens, & eius, quæ sola sit ascendens, vocatur primo*

mo fratres, fratrisque primogeniti filii in stirpes. & Bartolus in l. post consanguineos. §. Hæreditas. ff. de suis, & legit. hæredib. Dicit quoque, Cynus, Paulus, Corne. & alii in dicta Authent. Cessante, quam opinionem esse communem testatur Nicolaus Vbalidus de success. ab intestato 3. par. Tiraquel. lib. 1. de Retract. §. 2. Gloss. 2. Alexander Consil. 55. num. 4. lib. 4. cui sententia fauere videtur textus in Authen. de Hæredibus ab intest. venient. §. Si vero neque fratres: ubi lex ad successionem vocat agnatos, & cognatos post fratres, filiosque fratrum in capita. ergo fratres, & filii fratrum, in stirpes, non in capita vocantur. Secunda sententia affirmat filios fratrum, aut sororum admitti ad patrum successionem in capita, non in stirpes: quæ opinio colligi videtur, ex Authen. de Hæred. ab intest. venient. §. Sed et pater, & §. Si autem cum fratribus: ubi lex vocat in locum parentum ad successionem, patrum filios per stirpes, quædo cum aliquo ex patris superstitibus admittuntur ad successionem patrum defuncti, non in alio casu. Et hoc etiam, Insti. de Legit. agnat. success. sic quoque ibi Accursius sibi contrarius; sic Azo, Iacobus Butr. Salyc. Baldus, Hostiens. Zafius, Forinus, quos refert, & sequitur Covarruvias loco citato. Horum opinio est, si auo cum patris nepotes ex filio defuncto succedunt, in stirpes, non in capita succedunt, ita ut nihil amplius obueniat nepotibus, quam patri eorum, si superstes esset. Nam generatim in l. Nepotes. C. de suis, & legit. libe. habetur: Nepotes ex diuersis filiis variis numeris, auo succedentes ab intestato, non pro virilibus portionibus, sed ex stirpibus succedunt. Idem iuris est cum defuncto fratri intestatoque; frater succedit. Nam si contingat alterius fratris ante extincti filios sapere esse, ad hæreditatis cõmunionem vocandi sunt in vnam stirpem omnes relati. At si nepotes ex fratre, aut filii fratrum non cum patris succedant, sed soli ipsi inter se comparati, patruive hæreditatem aduent, in capita referuntur, & æquas singuli portiones obtinent, sicut cæteri, qui remotiori gradu propinquitatis defunctum attingunt: in priori hæredum genere representatio locum habet, in posteriori non item.

An vtrum horum in regno obseruari debeat cum descendentiis sablati nepotes ex diuersis fratribus, & propinqui à latere ad scepra vocantur, magna, & dubia: quæstionis est. Sed multi, & eruditione clari Doctores sentiunt, capitam, non stirpis rationem habendam esse. Etenim in pari propinquitatis gradu præstantissimus in ea familia ad regnum vocandus est, alioqui fornicus, quæ natura ipsa imbecilliores masculis ad regna sunt, puerisque, & ætate minoribus aditus ad regnum, exclusis viris, & ætate maioribus pateret: quod certe incommodum est. Patemur quidem nos, (id quamuis multi diffiteantur) in bonis aliis hæreditariis, & minoribus principatibus, hæredes ad stirpem reuocari: negamus tamen in regia successione id seruari debere, ubi multa propria sunt ab aliis omnibus hæreditatibus discreta. Nec obstat, si priuatis provinciarum, gentisve legibus, aut moribus secus sancitum seruatumve sit: nam nostra disputatio ex ipsius nature principis, & communi iure procedit.

Nostri ætate res controuersa fuit in Portugallia. Emmanuel Rex inclitus Portugalliarum, ex Maria filia Ferdinandi Aragonensium Regis, & Isabella Castellana reginæ nouem filios suscepit, Ioannem, Isabellam, Beatricem, Ludouicum, Ferdinandum, Alphonsum, Henricum, Odoardum, Antonium. Ioannes Primus, mortuo patre, regnauit, & fuit eo nomine tertius: & ex Catharina Caroli Quinti Imperatoris sorore filium habuit nomine Ioannem, qui viuo patre obiit, & vnicum filium Sebastianum ex Ioanna Caroli V. Imperatoris filia reliquit, & mortuo auo Ioanne III. regnauit: sed in Africa suscepto contra Mauros bello peremptus est. Isabella Carolo V. Imperatori nupsit, ex qua natus est Philippus Rex Hispaniarum, hoc nomine II. Beatrix porro, matrimonio iuncta fuit Carolo Philiberto Duci Allobrogum, & genuit Emmanuelem. Ludouicus ex concubina Antonium procreauit. Ex Odoardo nate sunt Maria, quæ Alexandro Far-

nesio, Octauii Ducis Parmensis filio nupta, peperit Raynucium, & Catharina Ducis Brigantini vxor. Antonius infans migrauit à vita. Alphonsus Cardinalis creatus, & initiatus iacris, viuo quoque patre decessit.

Henricus ad sacros etiam ordines promotus in Cardinalium numerum adscriptus est: & Sebastianus regi nepotii in prælio extincto successit in regno. Quo mortuo, grauis fuit controuersia, quis in regno succederet. nam superstitibus solum nepotes ex fratribus, & sororibus relicti erant Philippus Castellæ Rex, ex Isabella natus: Emmanuel filius Caroli Philiberti Ducis Sabaudie ex Beatrice; Antonius ex Ludouico relicto: Catharina Ducis Brigantini vxor, & filia Odoardi: & Raynucius filius Alexandri Ducis Parmensis, ex Maria eiusdem Odoardi filia progenitus: Philippus Rex ius regni ad se pertinere dicebat, eo quod cæteros, vel ætate, vel sexu, vel legitimis natalibus, vel anteriori propinquitatis gradu vincebat: Catharina quidem Ducis Brigantini vxorem, eo quod sœmina esset, quamuis ex Odoardo Henrici Regis fratre: sed hæc in parte representationis ius, & locum non esse, quia agebatur de successione nepotum ex fratribus, & sororibus ad regnum patrum defuncti sine liberis, & absque fratribus. Ducem vero Parmensem eo quod remotiori propinquitatis gradu Henrici regem mortuum attingeret. Ducem Allobrogum, eo quod cum ætate præteret, & natus esset ex Isabella Beatricis sorore, natu maiore: Antonium, eo quod non esset ex legitimo matrimonio procreatus. Contra vero Catharina Ducis Brigantini vxor regnum sibi debere contendebat, eo quod esset filia Odoardi, nepotis Henrici Regis defuncti ex fratre, Philippus vero Castellæ Rex esset nepos Henrici ex sorore: & ideo ipsa, vt patrem representans, non Philippus, qui matrem representabat, ius ad regnum habebat ex communi Iuriconsultorum sententia, dicentium in hæreditatibus, non extraneis filiis, nec fratribus, nec patris, nepotes ex diuersis fratribus & sororibus, patrum succedere in stirpes, non in capita. Pro Philippo Rege multorum Iuriconsultorum opinio iudicauit.

Decimotertio queritur, an regnum, cum lege, vel consuetudine per successionem primogeniti deberet, ad eum deferatur iure hæreditario. An potius generis, siue sanguinis iure? Respondeo, iure sanguinis deferri, non iure hæreditario. Magnum enim est discrimen inter hæc duo, quia cum regnum filio iure tantum hæreditario deberet, tunc filius in regnum succedit, vt hæres; natura autem hæreditariæ successionis est, vt nemo possit ex parte agnoscere, & probare, & ex parte respicere, & refutare vltimam voluntatem defuncti: ac proinde totam hæreditatem, vel admittere debet, vel repudiare. Item cum regnum solo iure hæreditatis filio deberet, potest pater regnum tanquam hæreditatem filiorum vni quem ipse maluerit relinquere, & non relinquat pater regnum primogenito, vt hæres, sed iure sanguinis; ac proinde potest tunc pater filium nũtū minorem hæredem instituire: hæres enim instituitur in aliis bonis, quæ pater vltra regnum habet. Quærit, Quando regnum iure tantum hæreditatis filio datur? Respondeo, cum pater electione, vel bello iusto, vel alia ratione regnum comparauit, non successione, tunc iure tantum hæreditatis regnum filii debet: cum vero lege, vel consuetudine per successionem regnum acquirat, tunc iure sanguinis debet primogenito regnum; quia lex ipsa, vel consuetudo voluit, vt ad primogenitum transiret. Hinc est, vt Constantinus Magnus tres filios hæredes Imperii reliquerit, quia imperium non iure successionis acquirat.

Atralus Philomero Rex Pergami cum liberis cæteris Populum Romanum testamento hæredem instituit. Appia. lib. de Belle Mithridatis, Insti. lib. 36.

Octauius Augustus Tiberium Imperii hæredem reliquit.

Alexander Magnus morti propinquus, cum rogaretur,

quem

quem institueret heredem regnorum, quæ acquirerat respondit dignissimum.

Dauid Rex non Adoniam, sed Salomonem natu minorem, regni heredem esse voluit.

Eumenes Rex Romanis regnum testamento reliquit idem fecerunt Nicomedes Rex Bithyniæ, Coctius Alpius Rex, Polemon Rex Ponti.

Decimoquarto quaeritur, An feminae in regno, vel principatu succedant? Respondeo, apud multas gentes esse vsu receptum, vt foeminae filiae succedant, non extantibus filiis masculis. In hoc enim diuersi sunt populorum, & gentium mores, instituta, & leges: in Francia etenim lex Salica celebratur, hoc est, quæ inter Salios olim seruata fuit: vnde & nomen habuit, ne regnum Franciæ, sicut nec terra Saliorum ab hasta, siue à lancea transiret ad fufum, siue colum. Lex sic est: *in terram Salicam foeminae non succedant.* Pro qua lege id facere dicunt, quod dixit Christus Dominus apud Lucam: *Considerate lilia, quomodo crescunt: non laborant, neque metunt:* quibus verbis Philippus Valefius regnum adeptus est. Ferunt enim contra legis Salicæ oppugnatores tunc fuisse conclusum, Lilia Francorum non debent nisi Nobilibus, qui non laborant: nec debent, nisi masculis, qui non metunt.

Alii vero negant, vllam vnquam fuisse talem legem Salicam. Sub Philippo Valefio Gallorum rege fuit magna controuersia, num foeminae in regno Franciæ succederent, omnes Galli tunc defendebant causam Philippi, partim ex lege Salica, partim ex consuetudine Francorum. Et pro Philippo proceres sententiam tulerunt, vt testantur, Appendix ad Annales Nangii Historici, Frossantes historicus, Ioannes Iuuenalis, Vrsinus Bellouacensis Episcopus, qui vixit tempore Caroli VI. anno Domini 1375. Certe Baldus illius ætatis, in qua illa quam diximus, agitabatur controuersia, Iurisconsultus celeberrimus in *l. Consultari ff. de feudatoribus* sic scripsit: *Si filia Regis Francorum non succedit in regno, ex rationabili consuetudine Francorum, filius eius, scilicet Dominus Rex Angliæ in elyza recordationis, in regno Francorum nullum ius pratendere potuit, quia in causato non potest esse plus virtutis, quam procedat ab influenti potentia causæ. Et si male successit Regibus Francorum, forte fuit propter aliam causam, quæ erat in mente diuina, non propter illam, quæ est clara pro Rege Francorum.* Sic ille. vbi causam Philippi Valefii defendit non ex lege Salica, sed ex consuetudine Francorum. Galli ægre ferunt, si quis neget vllam esse talem legem Salicam, quia *historici*, inquit, *veteris legis Salicæ apud Francos receptæ meminerunt.* Sigibertus in *Chronico* anni 422. Otho Frisingen. *lib. 4. cap. 32.* Guelmus Nangius in *Annali* anni 425. Eginarthus in *vita Caroli Magni*, Hermannus Comes in *libello, de origine Francorum.* & alii, quos citat *Iacobus Spiegel Salestadensis in Lexico iura. in verbo, Salica*, videlicet Ioannes Trithemius, Conradus Pertingerus, Paulus Valzius. Cæterum Angli scriptores aiunt consuetam esse legem Salicam à Gallis gratia Philippi Valefii. Alii volunt, mendose dici legem Salicam pro Gallica. Certe Sigibertus, Otho, Eginarthus, Hermannus Comes, & Nangius, aut qui ad illius Annales Appendixem addidit, testantur, Francos anno 420. vti cepisse duabus legibus, scilicet lege Salica, & Francica, & legem Salicam didicisse quatuor gentis Gallicæ proceres electos ex pluribus, quos Sigibertus nominat Vlogast, Balogast, Salogast, Widogast: & Hermannus dicit duas leges habuisse Francos, Salicam, & Francicam, quibus nullus regum ante Carolum Magnum adicere quidquam tentauit. Sed hi Auctores non meminerunt legis Salicæ, quæ statuit, ne foeminae in terram Salicam succedant: nam leges Salicæ sunt multæ. Iudicatum itidem est contra filiam Ludouici Hutini uxorem Caroli Comitis Ebroicensis: quæ post mortem patris sola superstes, eo sine masculis mortuo, petebat regnum Franciæ, & Nauarræ, cuius rex erat etiam pater, statutumque secundum consuetudinem est, eam repelli à successione in regno Franciæ, quod illud non nisi masculis deferretur: & delatum est regnum

Philippo Longo eius patruo fratri Ludouici Hutini: datum autem est illi filia regnum Nauarræ, quod iure successione transferri ad hæredes cuiusque sexus solet. Deinde cum Philippus Longus Rex mortuus esset, relicta filia, quam dederat in matrimonium Comiti Atrebatensi, alius frater eius Philippus dictus Carolus Pulcher, in regno successit exclusa filia. Et ita tres fratres, scilicet Philippi Pulchri, quem Philippus III. filius Sancti Ludouici genuerat, nimirum Ludouicus Hutinus, Philippus Longus, & Carolus Pulcher, regnum ordine successione, non extantibus filiis masculis, qui decesserant, obtinuerunt.

Carolus Pulcher cum obiisset relicta vxore prægnante, Philippus Valefius administrator regni constitutus est, nepos Philippi III. filii Sancti Ludouici descendens ex Carolo Valefio filio Philippi II. excluso Odoardo III. eius nominis rege Angliæ ex Isabella filia ipsius Caroli Pulchri, quæ superstes erat generato, quamuis propinquo esset Isabella, quoniam Isabella erat filia Caroli Pulchri regis demortui, & Philippus erat patruelis eiusdem Caroli Pulchri. Mortuo deinde posthumo Caroli Pulchri, excluso Anglo, Philippus Valefius coronatus est Rex ex procerum iudicio, & sententia cui subscripsi: Odoardus Rex Angliæ. Duo fuerunt exempla ante Carolum Magnum, quibus ostenditur, foeminas in Regno Franciæ non succedere.

Primum exemplum est: Childebertus Rex Franciæ liberos masculos non habuit, sed filiam, frater ei fuit Clotarius. Childebertus itaque grandis natu senio, & ægritudine grauis sponte sua regno cessit, & Clotarius frater eius, & deinde liberi prætermissa foemina filia Childeberti, in regnum successerunt, cum paulo post obiisset ipse Childebertus. Alterum exemplum. Chereberto Rege Franciæ mortuo, Sigebertus, Chilpertus, & Guntianus fratres eius, Regnum inter se diuiserunt exclusa superstitente filia.

Hæc duo exempla videntur probare, legem Salicam in Francia fuisse, siquidem tunc foeminae à Regno exclusæ fuerunt, & cum id tunc factum non sit ex consuetudine, quæ nulla eo tempore erat, videtur factum esse vi legis. Quamuis vero lex diuina & vetus extantibus filiis masculis, filias ab hæreditate parentum excluderet, non tamen idcirco filia ab hæreditate repellentur, si nullus filius adesset. Item filia in feudo non succedunt: dicitur enim in *cap. 1. de his, qui feudum dare possunt, lib. 1. Feudorum*: [Licet filia, vt masculi patribus succedant, legibus tamen à successione feudi remouentur, similiter & eorum filii, nisi specialiter dictum fuerit, vt ad eas pertineat.] At vero apud gentes, si pauca excipias, non legimus filias ab hæreditate parentum prohiberi, cum filius masculus nullus est. Solum apud Lacedæmonios fuit lex similis legi Salicæ, qua vtuntur Galli: ait enim *Æmilius Probus* in vita *Agelilai*. *Mos est à maioribus Lacedæmonis traditus, vt duos haberent semper reges nomine magis, quam Imperio ex duobus familiis, Procli, & Euristhenis: qui principes ex progenie Herculis Sparta reges fuerunt: horum ex altera in alterius familia locum fieri non licebat. Itaque vterque suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui natu maximus esset ex liberis eius, qui regnans decessisset. Sin uirilem sexum non reliquisset, tunc deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Quidquid sit de lege Salica, constat in regno Nauarræ, Scotiæ, Castellæ, Angliæ, Hierosolymæ à potestate Saracenorum recuperatæ, foeminas non extante virili prole succedere, vt inferius exemplis ostendam.*

C A P. III.

De creatione Regum, qua sit per electionem.

PRIMO quaeritur, Quot modis creentur Reges per electionem? Respondeo, multis modis: Aut enim fortè deliguntur, aut creantur electione omnino libera, hoc est, non restricta ad certum genus personarum, aut restricta,